

4 LEONARDI AUGUSTINI

tam exornabat heroicis ausis. In eadem figura exhibitur celatus in hoc sardio, barba capilloque prorsus non curatis: etiam nudus, quantum conjici potest, quæ & erat ipsius consuetudo & ipsi passim tribuitur, videlicet, ut exemplo suo homines ab vitio deterret ac tenuitatem justitiamque hortaretur. Ille igitur non est factus immortalis nec ad coelum venit auri copia vel imperii magnitudine, sed quia se exposuit periculis & monstris & ærumnis, solo amore virtutis, subveniens justis & puniens impios.

7. HERCULES LAUREATUS.

Respice ad quin tam imaginem modo prægressam.

8. HERCULES CUM CLAVA ET POCULO.

Bacchus dicitur, quum venisset Tyrum, Herculem donasse poculo aureo, & Alexander exemplum Bacchi sequutus, dedicasse ei alterum, prout narrat Quintus Curtius, quippe qui referebat ab Hercule originem. Hoc poculum refertur insculptum crystallo, cujus proprium apud Latinos vocabulum e Græco sermone sumptum fuit *Scyphus*. Macrobius declarans versum Virgilii in persona Herculis

Et sacer implevit dextram scyphus.

Scyphus Herculis poculum est, ita ut Liberi patris cantharus. Herculem vero fictores veteres non sine causa cum poculo fecerunt, & nonnunquam quassabundum & ebrium: non solum quod is heros bibax fuisse perhibetur, sed etiam quod antiqua historia est Herculem poculo tanquam navigio ventis immensa maria transisse. Præter Macrobiū scri-